



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xciv [i.e. vii]. Ejus causalitas respectu effectus primarij est unio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

nequē immediatē subtrahendo isti formæ suum concursum: sed sollicitando quasi causam primam, vel etiam determinando causam materialem & efficientem secundam, ut ad informationem suam subtrahat illi concursum suum, cui illius exigentiæ naturaliter debetur subtractio istius concursus. Causa autem efficiens novæ formæ causat hanc expulsionem efficienter mediatē, quatenus causat formam novam, quæ immediatē in genere causæ formalis causat illam. Quibus non obstat, quòd introductio novæ formæ sit quasi finis expulsionis veteris formæ; nam finis tantum propriè talis est in executione posterior, quàm media finem efficientia seu propriè dicta: non autem est posterior aliis mediis impropriè talibus, ab ipso fine ortis, & illum consequentibus, quale quid est expulsio formæ veteris.

VII. Causalitas formæ respectu effectus primarii est unio, etsi hæc non causetur à forma; causalitas enim tantum causæ efficientis causatur ab eo, cuius est causalitas; hinc si unio crearetur, foret adhuc vera causalitas & influxus materiæ & formæ in compositum. Formæ tamen modales, quæ se ipsis unium-
tur

ur subjectis, non egent causalitate distinctâ, sed seipsis sunt simul forma & quasi causalitas. Causalitas formæ respectu effectus secundarii est eadem unio, ut actu movens Deum, vel etiam determinans causas secundas ad subtrahendum concursum veteri formæ; per hanc enim unionem actu moventem Deum constituitur forma actu causans hanc expulsionem, & impossibile est, hanc unionem actu movere Deum, & formam veterem non expelli: sic etiam hæc subtractio concursus divini suo modo dependet à forma, quatenus Deus potens ob alios fines suum concursum subtrahere, subtrahit illum ad exigentiam formæ.

VIII. Formam tribuere suum effectum formalem alicui, est cum eo constituere aliquod compositum; quod autem non semper eadem inde resultet denominatio, si eadem forma aliis & aliis subjectis uniatur, inde est, quod effectus formalis sit compositum includens intrinsicè subjectum, pro cuius subjecti diversitate erunt & resultabunt composita & denominationes diversæ, pro ut subjectum tali formæ erit proportionatum vel improporionatum; sic visio unita oculo de-